
ARN. CLAPMARIVS
De
ARCANIS
RERVM PVBLICARVM,
Iteratò illustratus
A. IOAN. CORVINO IC.
Accessit
CHR: BESOLDI
De eadem materia
Discursus.
Cor. Cl. Duysend sculp.
Amsterodami.
Apud Ludouicum Elzeuirium. Anno 1644.

ARN. CLAPMARII
DE
# ARCANIS RERUMPUBLICARUM

*Libri ſex iteratò illuſtrati*

A JOAN. ARN. CORVINO JC.

*Acceſſit V. Cl.*

CHR. BESOLDI

*De eadem materia diſcurſus.*

NEC NON

ARNOLDI CLAPMARII

Et aliorum concluſiones de

*IVRE PVBLICO.*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA · SALAMANCA ·

*Amſterodami,*
Apud Ludovicum Elzevirium, 1644.

*Celſiſſimo Principi,*

# UDALRICO,

*Friſiæ Orientalis Comiti ac Domino, Domino Eſenæ, Stedesdorpi, VVidmundæ, &c.*

AB eo tempore, quo ex rerum mearum ſtatu, poſt neceſſarium à Patria ſeceſſum ad T. C. territorium diverti, nihil habui antiquiùs, quàm eam, quâ me honoratiſſimę memoriæ T. C. pater, & infelix frater gratiosè comprehenderunt, humanitatem publicê teſtari. Eſt id omnino, ut ſemper exiſtimavi, pars officii mei. Tantò magis erga te, Celſiſſime Princeps, quantò magis à ſe creſcere T. C. & augeri iſtam voluit gratiam. Quod debitum non exſolvi; cùm alia, tum temporũ impediit converſio. At cœlum mu-

 tavi,

# IOANNIS ARN. CORVINI IC

## DE

# ARCANIS RERUM-PUBLICARUM DISCURSUS.

De πολιτείᾳ qui diſſerunt curatè, & ipſius naturam explanant (ut loquuntur) in theſi, & ipſarum Rerumpublicarũ ortum, ſtatum, conſervationem, & mutationem in hypotheſi. Naturam ſi ſpectas; πολιτεία in communione verſatur. Hæc ab origine eſt hominum ſingularum inter ſe. Scilicet ex conjunctione maris & fœminæ; & quidẽ ex creatione, & juxta eam ordinatione divinâ. Creatione; quod homines diverſo ſexu creavit maximus Deus, marem & fœminam; illum priùs, hanc mari pro ſociâ & adjutrice. Ordinatione; Ea eſt, ut duo eſſent in carne unâ; hoc eſt, ipſius conjugalis ſocietatis; & quidem cum propagationis benedictione. Sanè non caruit ea effectu. Propagatum enim, & quidem fertili accremento humanum genus. Inde natus τῆς ὑπεροχῆς ϗ ὑπεξιότητος ordo. inter genitores nempe & genitos;

# ARNOLDI CLAPMARII
## *DE*
# ARCANIS RERUMPUBLICARUM,
## Recogniti & iteratò illuſtrati
## LIBER PRIMUS.

*Qui eſt de jure Imperii.*

### *CAPUT I.*

*Occultæ & abſtruſæ artes Reipublicæ conſtituendæ, atque conſervandæ: Rationes, & leges quid apud plebem poſſint: Simulacra Deorum.*

DUO ſunt potiſſimum, quæ in conſiderationem veniunt in omni Republica componenda, conſervandaque. Primum non eſt unius generis, ſed ſpectat tum ſecuritatem eorum, penes quos eſt, ut ait Ariſtoteles, πολίτευμα, id eſt, *ſummum Imperii Ius*. tum etiam pertinet ad præſentem Reip. ſtatum confirmandum, atque corroborandum. Nam præterquam quod, ut D. Auguſtus olim dicebat, *cum omnia quæ præclara ſunt, tum imprimis ſummum Imperium cum invidia conjunctum eſt*; permulti, vel ſatietate præſentis Reipublicæ, vel animi mobilitate novis Imperiis ſtudent, qui facilè, niſi illis obex aliquis opponatur, frenumque injiciatur, Rempubl. occupabunt; & iis qui principatum in Republica obtinent, violentas manus adferent.

*Salus Reip. conſiſtit in duobus. Primò in ſecuritate eorum qui rerum imperant, præſentis Reip. & diuturnitate.*

 Quæ

# CHRISTOPHORI BESOLDI JC.

## DE Arcanis Rerumpublicarum,

### CAPUT I.

*De Arcanis convenientibus ſtatui omni.*

NOn ſolùm ſubditi Religione, educatione, legibus, aliiſque ſimilibus mediis ad Politicam deducendi ſunt felicitatem: ſed & Majeſtas Imperii, ſalutis cùm ſit tutela; ideò ſtatum, formamque Reipublicæ, & ſuam etiam auctoritatem, mediis quibuſdam tueri debet is, qui imperat. Quæ arcana Reipublicæ, vel ſecreta Imperii, communiter vocitantur; & quæ Ariſtot. *l. 5. polit. cap.* 8. τῶν πολιτειῶν σοφίσματα, alibi, κρύφια, item κατασκευάσματα, appellat. Vide Conradum Cerneman. *in laboribus Iulii Caſaris. num.* 214. & Facium *in præfation. Politic. Livian.* Et hæc ita per conſequentiam populi quoque ſalutem concernunt: cum ſalus Principis ac ſtatus ſpectet cumprimis ad publicam tranquillitatem.

*Arcanorum Imperii neceſsitas.*

Ea ab *Arnoldo Clapmario*, prudentiſſimo juvene, primùm ordine ſunt digeſta, in opere illo luculento, quod de arcanis Rerumpublicarum inſcripſit. Cujus tamen contenta pleraque *VVaremundus ab Ehrenberg*, ſeu *Eberhardus à VVeihe* conditione ſuppilatoria ſibi vendicat; *in tractatu de ſubſidiis. cap. 3. num. 4. & cap. 6. num. 26. ac etiam cap. 7. num.* 31. Confert item

*Arnoldi Clapmarii laus.*

ad horum

# ARNOLDI CLAPMARII, FRANCISCI ROSELLI ET WOLFGANGI HEINRICI RUPRECHTI

*Concluſiones*

DE

# IURE PUBLICO.

*Amſterodami,*

Apud Ludovicum Elzevirium, 1644.

*Illuſtriſſimo Potentiſſimoque*

# PRINCIPI MAVRICIO,
## Landgravio Haſſiæ, &c. Domino meo clementiſſimo.

*INgens nominis tui tum magnitudo, tum ſingularis erga me clementia, magne Princeps tantum potuit, ut non ſolum me tantarum rerum non immemorem redderet, ſed & faceret audacem. Neque enim debuit tuarum virtutum recordationem ullum temporis locorumve intervallum mihi eripere, neque potuit imponere, quo minus tibi rationem redderem otii atque officii mei. Equidem ex quo tua autoritate atque conſilio hanc in Academiam conceſſi, non tantum id me compoſui, ut in officio eſſem, quod à me requirebat fides mea, verùm etiam ut ſatisfacerem expectationi atque commendationi tuæ, quæ ut imbecillitatem meam, ita etiam multorum hominum opinionem facile ſuperaſti. Quo majore mihi ope nitendum fuit, ut cum propter inſigne tuum de me Iudicium, cujus me ſuppudebat, pro tenuitate mea; tum propter officii hujus mei difficultatem, cui ego vix par ſum, & Academiæ huic otii mei conſtaret ratio, & te commendationis non pœniteret tuæ. In hoc ſtudiorum laborumque ſtadium ingreſſus, dum me reſpicio, atque nunc hoc, nunc illud parturio, commodum mihi excidit diſputatio hæc de Iure publico; Cujus ſtudii difficultas, quantum apud nonnullos valet, quæ eos à tam laudabili abſterreat negotio, tantum apud me poteſt dignitas, quæ me ad tantæ rei magnitudinem adde-*

# DISPVTATIO I.
## De
# JURE PUBLICO
excerpta ex C. Corn. Tacito
*Præſide*
ARNOLDO CLAPMARIO
*Reſpondente*
Ioan. Chriſtophoro Kotzero.

### THESIS I.

DE Cocceio & Capitone Tacitus, de Scævola Vellejus, de Tuberone Pomponius, de Tito Ariſto Plinius, de aliis alii, eos ſcientiſſimos fuiſſe tum publici, tum privati Iuris: Cæterum in Hiſtoriis peregrinos eſſe, qui negant Ius publicum uſpiam extare.

### II.

Neque enim ea, de quibus Ammianus loquitur, fuiſſe quædam, quorum ſeriem ſcrutari non licuit, nec ſi licuiſſet, proferre decebat in publicum, de Iure publico intelligenda ſunt: Neque etiam *in Commentario, ſive Rationario Imperatorum*, cujus capita commemorant Tacitus, Suetonius & Dion, continebatur jus publicum.

### III.

*Eſt autem jus publicum*, ut recte Vlpianus *quod ad ſtatum Rei Romanæ ſpectat*. Eadem ſignificatione apud Tacitum 4. *Hiſtor*. *Status Imperii*. Et conſiſtit in ſacris, in ſacerdotibus, in magiſtratibus. Vnde plerique exiſtimant *Ius publicum quid, & in quibus conſiſtat.*

 jus